



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**TRACTATVS|| DE CON-||FESSIONIBVS MA=||LEFICORVM ET
SAGA-||RVM SECVNDÒ RECOGNI||tus, & auctior redditus.||
An, & quanta fides ijs adhibenda sit?||**

Binsfeld, Peter

Avgvstae Trevirorum

VD16 B 5530

Qvaestio II. De veneficijs & poculis amatorijs. An sapiant hæresim, vel spectent ad peccatum hæresis pocula amatoria?

urn:nbn:de:hbz:466:1-41113

QVAESTIO II.

De veneficijs & poculis amatorijs.

An sapiant heresim, vel spectent ad peccatum heresis pocula amatoria?

DISPUTANT Doctores vt plurimùm locis citatis in principio superioris q. Pro termini intelligentia, nota (sapere heresim) nihil aliud esse, quàm vehemētem hæresis suspicionem præbere. Vnde quâdocumq; aliquod factum, aut dictum grauem præsumptionem hæresis offert, hæresin sapit. Deinde in maleficiorum distinctione & cognitione voluntas intentioque inspicienda est, quid operans intendat, quis eius sit finis, quam fidem habeat in applicatione rerum, quibus vtitur. Aliquando enim adhibentur naturalia, quæ nullam habent efficientiam in ordine ad effectum producendum: aliquando sacramenta & sacramentalia, quibus etiam nullus inest effectus ad tam sceleratum finem. Nunc pro resolutione, quum varietas rerum efficiat decisionis diuersitatem, sit

Prima Conclusio. *Si sortilegia amatoria ita fiant, vt in illis adsit inuocatio Demonis per modum adorationis, aperte sapient heresim.*

OLDRA.

OLDRADVS in conf. 210. Grilland. in q. 10.
de Sortilegijs, & alij vbi supra.

*Secunda Conclusio. Etiam si non fi-
ant per modum adorationis, modo in talium
maleficiorum exercitio expetatur, & expe-
ctetur à Demone aliquid, quod soli Deo face-
re conuenit, sapiunt hæresim.*

Quia tribuitur creaturæ quod Deo debetur.

*Tertia Conclusio. Si innocetur sim-
pliciter Demon ad tentandum pudicitiam
hominis, licet grauissimum sit peccatum su-
perstitionis, non tamen sapit hæresim.*

CONCLUSIO est communis Doctorum.
Ratio: quia in casu huius conclusionis tri-
buitur Diabolo, quod eius proprium est, sci-
licet tentare, vnde tentator dicitur, Matth. 4.

*Quarta Conclusio. Ab illis, qui ama-
toria maleficia exercent, inquirendum est
cum diligētia, an credant maleficia, aut Da-
monem posse cogere alicuius viri, vel femi-
næ voluntatem ad amorem inhonestum.*

QUOD si hoc credant, vehemens est hære-
sis suspicio, & si instructi de veritate, ac-
quiescere nolint, tanquam hæretici sunt hæ-
ren.

bendi. Quia credere, hominis voluntatem à Dæmone, aut malefico efficaciter cogi ad amandum aliquem, vel aliquam: hæresis est aperta, cum repugnet libertati à Deo nostræ voluntati inditæ. Si enim voluntas à Dæmone cogitur ad aliquem amandum, iam non est libera, nec in manu consilij sui, secundum Salomonem in Ecclesiast. 15. cap.

Quinta Conclusio. Omne maleficium, quod exercetur per commixtionem alicuius sacramenti, aut rei sacramentalis, reddit ipsum operatorem de hæresi suspectum.

HANC Conclusionem tradunt Panormit. in cap. 1. de Sorilegijs ex Glossa lib. 6. de hæretic. cap. Accusatus. §. Sanè. & Alphonsus Castrenf. loco citato, contra Oldradum & Grillandum. Ratio clara est. Sapere hæresin nihil aliud est, quàm fortem præbere hæresis suspicionem. Quis autem ad tam abominabilem usum res sacras adhiberet, nisi aut effectum habere existimet, aut nullius esse momenti iudicet, & sic contemnat mysteria nostræ salutis: quæ an non sapiant hæresin, quisq; æquus rerum æstimator facilè animadvertet.

QVAE